

audium: ergo pariter appetitus rationalis amat bonum intelligibile, at non per se ipsum immediate, sed per intellectum consequibile.

Neque aliquid amplius evincunt allata auctoritates S. Aug. & Thom. Quam ad Aug. nulla videtur difficultas. Quantum ad S. Thom. quam constantè tenent & quam invicem probent sententiam nostram, ex dictis manifestum relinquatur; non ergo, quæ ex ipso obijciuntur, eum sensum referunt, quem intendunt obijciunt. Itaque ad r. ex Q. 28. art. 1. S. Doctor distinguit O. duplicem unionem, unam realem, alteram affectivam; & dicit, quod amor causet efficienter unionem realem; addi: Quia movet ad desiderandum & querendum presentiam amati, quasi sibi convenientis. Secundam unionem, scilicet affectivam, facit formaliter, quia ipse amor est talis unio & nexus: & hoc ipsum est, quod dicimus. Quando ergo dicit ad 3. quod amor est magis univocus, quam cognitio, quia cognitio perfectior per hoc, quod cognitum videtur cognoscenti secundum suam similitudinem, sed amor facit, quod ipsa res, que amatur, amanti aliquo modo unitur; loquitur de cognitione, que non est ipsa realis unio objecti amati, quam querit amor, ut contingit quando objectum amatum est quod corporeum aut sensibile, & aliter acquisibile, quam per cognitionem: sic v. gr. ex hoc, quod avarus cognoscat divitias, non in illa unione intellectuali per similitudinem auri quiescit amor, sed aliam querit & efficit, realem scilicet per contactum. Hoc autem non impedit, quominus si objectum amatum non sit aliter acquisibile, quam per intellectum, ut est ultimus finis noster, nempe Deus prima veritas (aliter enim veritas acquiri non potest, quam per intelligentiam & cognitionem) ipsa cognitio sit ipsa realis unio, quam querit & efficit amor, non per se formaliter, sed per intellectum.

Ad 2. ex 4. D. 49. R. ipsismet S. Doctoris verbis ibidem, Quod per affectum homo perfectius Deo conjungitur, quam per intellectum, in quantum conjunctio, que est per affectum, superat perfectam conjunctioem, que est per intellectum, perfectius scilicet accidentaliter & decorans eam, sed tamen oportet, quod prima conjunctio sit semper per intellectum. Unde mirum est, nec nobis ex S. Doctore opponi, cum inde juguletur opposita sententia. Ad 3. ex q. 4. cit. R. iterum ejus verbis ibid. ad 3. quod comprehensio (de qua loquitur ad 2.) non est aliqua operatio præter visionem, sed quedam habitudo ad finem jam habitum, unde etiam ipsa visio vel res visa, que presentialiter adest, objectum comprehensionis est. Dupliciter igitur comprehensio sumi potest, 1. Pro ipsa essentiali apprehensione, qua res capitur & tenetur, & sic in subjecta materia est ipsa visio, qua res intelligibilis apprehenditur & possidetur. 2. Pro perfectione consecuta ad istam apprehensionem, quatenus re jam habita aliquis utitur & fruitor tanquam sua; & ista comprehensio, que nihil aliud est, quam fructio, pertinet ad voluntatem, & de illa bene dicit S. Doctor, quod non est aliqua operatio præter visionem. Uno verbo: Comprehensio pertinet ad voluntatem, non efficit; sed obijciat: quia est objectum fructioem, que est actus voluntatis.

Inst. 1. Deus ut beatitudo objectiva est summum bonum, & ultimus finis; atqui bonum & finis est objectum voluntatis: ergo acquiritur & possidetur per actum voluntatis. Patet Conseq. quia actus & objectum sunt ejusdem potentie. R. D. Min. Bonum & finis ut appetibilis est objectum voluntatis, C. Min. Ut assequibilis, N. Min. Alias omne, quod appetimus ut bonum, per ipsum appetitum assequeremur: quod quam falsum sit, patet ex dictis, & omnium experientia.

Inst. 2. Voluntas per amorem tendit in Deum ut consequibilem: ergo. Prob. Ant. Per amorem meretur illum: ergo. R. D. A. ut ante: voluntas per amorem tendit in Deum ut consequibilem per se immediate. N. Ant. Ut consequibilem mediate per intellectum, C. A. Solutio patet ex dictis.

Inst. 3. Ejus est potentie assequi terminum, cujus est tendere in illum: sic v. gr. per motum, quo tendimus in terminum alterationis aut motus localis, illum assequimur; atqui voluntas per amorem tendit in Deum: ergo. R. D. Maj. Ejus est potentie assequi terminum, cujus est tendere in illum tendentia executiva, C. Maj. Tendentia affectiva tantum, seu intentionem, N. Maj. Et distincta Min. ad sens. Maj. N. Conseq. Verum est ergo, quod, quando potentia tendit ad terminum in executione & in ipso fieri, ipsa etiam sit assecutio termini, quia sic tendere est acquirere, & talis terminatio est acquisitio; ac si tendentia sit solum quoad affectum & intentionem, ut in voluntate, bene stat, imò sic debet esse; quod assecutio pertinet ad aliam potentiam, cujus actionem & impletionem voluntas desiderat; quia ibi debet esse assecutio, ubi desideratur perfectio. Et quia creatura intellectualis in ipsa intellectualitate indiget perfici tanquam in eo quod magis intimum, proprium & summum est, ideo in intellectu debet esse assecutio ultimæ & maximæ perfectionis, que est finis ejus.

Inst. 4. Beatitudo nostra formalis est assecutio Dei sub ra-

tione summi boni & ultimi finis; atqui intellectus non assequitur Deum sub ratione boni & finis (ad enim est proprium objectum voluntatis) sed sub ratione veri tantum: ergo. R. D. Maj. Beatitudo nostra formalis est assecutio Dei sub ratione boni & ultimi finis ut appetibilis, allicientis, & moventis affectivæ, N. Maj. sic est objectum voluntatis: est assecutio sub ratione boni & finis, ut presentis & realiter possessi, C. Maj. Et distinctione applicata Minor, N. Conseq. Beatitudo enim non consistit in appetendo, sed in possidendo bonum; unde actus, quo constituimur Beati, non debet respicere bonum ut appetibile, sed ut possessum. Vel aliter, quod in idem redit, D. Maj. Beatitudo nostra formalis est assecutio Dei sub ratione boni & finis, Ly sub, importante rationem sub qua attingitur, N. Maj. Ly sub, importante rationem que attingitur, C. Maj. Et ad hunc sensum distincta Minor, N. Conseq. Quamvis ergo intellectus non attingat Deum formaliter sub ratione boni & finis allicientis & finalitatis, attingit tamen ipsam rationem boni & finis; distinguit enim inter verum & bonum: ergo attingit rationem boni. Item voluntas non fertur in bonum, nisi prout ipsi proponitur ab intellectu: ergo intellectus attingit bonum, & hoc sufficit ad formalem beatitudinem; ad eam enim non requiritur, quod objectum beatificans, & satians acquiratur, & possideatur v. gr. sub omni ratione, sed sufficit, quod re ipsa habeatur. Sic, v. gr. avarus appetit divitias sub ratione boni, & tamen eas tactu assequitur, non sub ratione boni, sed sub ratione tangibilis: sic curiosus appetit videre pulchrum objectum sub ratione boni, & tamen illud visus assequitur, non sub ratione boni, sed sub ratione colorati lucidi: sed quia uterque assequitur, id, quod bonum est, ut reputat bonum, ejusmodi assecutio est appetitus salutiva & ejus felicitas, in quantum esse potest.

Inst. 5. Beatitudo formalis est id, quod inter intrinseca est maxime volendum & amabile, sicut Beatitudo objectiva est id, quod inter extrinseca est maxime volendum; atqui actus voluntatis est inter intrinseca maxime volendus: ergo. Prob. Min. Voluntas plus appetit actum proprium, quam actum intellectus: ergo. R. 1. D. ultimum Ant. Voluntas plus appetit actum proprium in ratione conjuncti, C. Ant. in ratione conjuncti, N. Ant. Sic v. gr. voluntas plus appetit actum proprium simpliciter ut est affectus sibi conjunctus, quam actum oculi aut pedis, attamen in ratione videndi aut ambulandi plus appetit actum oculi aut pedis, quam actum proprium. Ita in nostro casu. R. 2. D. idem Ant. Voluntas plus appetit actum proprium quam actum intellectus, appetitu innato, C. appetitu elicito, N. Quamvis enim appetitus innatus sit propter potentiam appetentem, appetitus tamen elicitus est propter ipsum suppositum, quia actiones sunt suppositorum: Bonum autem suppositi est realiter conjungi ultimo fini, que conjunctio fit per intellectum, ut probatum est.

Dices: Visio, seu cognitio pecunie non est consecutio aut possessio pecunie: ergo visio Dei non est consecutio, aut possessio Dei. R. N. Conseq. Disparitas est, quod, cum pecunia non videatur, aut cognoscatur immediate in se, sed mediantibus speciebus, ejus visio seu cognitio non facit eam oculo vel intellectu immediate presentem. Deus vero immediate in se sine speciebus cognoscitur ab intellectu beato, ut diximus in 1. p. Unde illi immediate fit præsens & unitur.

Obj. 3. Beatitudo formalis consistit essentialiter in perfectissima operatione nature intellectualis, ut dictum est; atqui actus voluntatis est perfectior actu intellectus: ergo. Prob. Min. Voluntas est potentia perfectior intellectu: ergo ejus actus est perfectior actu intellectus. Prob. Ant. Illa potentia est perfectior, cujus objectum est perfectius, virtus efficacior, & proprietates præstantior: atqui objectum voluntatis est perfectius, quam objectum intellectus, illud enim dicit ordinem ad existentiam, que est ultima rei perfectio, istud autem abstrahit ab existentia; voluntas movet intellectum in genere cause efficientis, non intellectus voluntatem; & tandem libertas est proprietates voluntatis, non intellectus: ergo. R. 1. Dato actum voluntatis esse operationem perfectissimam in ratione entis, non ideo esset beatitudo formalis, quia beatitudo formalis est operatio perfectissima in ratione consecutivi, amor autem seu actus voluntatis non est consecutivus, ut probatum est. Sed & negamus actum voluntatis esse operationem perfectissimam, etiam in ratione entis. Unde R. 2. N. Min. Ad prob. N. Ant. ad prob. D. Min. per singulas partes. Ad 2. D. objectum voluntatis est perfectius in ratione entis, Transsegit in ratione objecti, N. objectum enim intellectus est abstractius, universalis, & immaterialius; perfectio autem potentie desumitur ab objecto perfectiore in ratione objecti, non in ratione entis: alioquin sensus, qui fertur in singularia & existentia, foret perfectior intellectu. Ad 3. quod intellectus attingat etiam existentiam, non exercitiam, sed signatam & in ratione quidditatis. Ad 2. licet voluntas moveat intellectum in genere cause efficientis & quoad exercitium, movetur tamen ab intellectu quoad

quoad specificationem, & in genere cause finalis per propositionem objecti, iste autem modus movendi est nobilior, quia nobilior est dirigere opus, quam illud exequi. Ad 3. quamvis libertas formalis sit in voluntate, radicalis est in intellectu per judicium rationis, causa autem est nobilior effectu, & radix fructu. Insuper, dato quod libertas sit perfectior necessitate in esse moris, non tamen in esse physico: alioquin operationes Dei ad extra, quibus producit creaturas, forent perfectiores operationibus ejus immanentibus & ad intra, quibus se ipsum intelligit & diligit, illæ enim sunt liberæ, non istæ. Adde, quod amor beatificus, de quo hic est questio, sit necessarius: unde ex parte libertatis non præminet visioni. Hoc argumentum fusi tractant nostri Thomiste in Physica: vide, si lubet.

Inst. Sæptem amor Dei est perfectior visione Dei: ergo. Prob. Ant. multipliciter: 1. Caritas est perfectior fide; juxta illud Pauli 1. Cor. 13. Nunc autem manent fides, spes, & caritas, tria hæc: major autem horum est caritas: ergo est etiam perfectior visione beatifica. Prob. Conseq. Species generis imperfectioris non potest præcellere speciei generis perfectioris; & ideo dicimus, quod cœlum, quantumvis nobile secundum speciem, sit vilius musica, quia genus viventis est perfectius non vivente; ergo, si caritas, que est species pertinet ad genus volitivum, sit perfectior fide, que pertinet ad genus intellectivum, genus volitivum est perfectius intellectivo; consequenter omnis actus voluntatis perfectior quolibet actu intellectus: ergo ex præcellentia caritatis supra fidem recte colligitur præcellentia amoris beatifici supra visionem beatificam. 2. S. Thom. 1. p. q. 82. art. 3. docet, quod, licet cognitio eorum, que infra nos sunt, sit perfectior eorum amore; tamen amor eorum, que supra nos sunt, sit perfectior eorum cognitione; ex quo inferit, quod amor Dei sit melior, quam ejus cognitio, & e contra quod cognitio rerum corporalium sit melior quam eorum amor. 3. Ordo Seraphinorum, qui dicitur ab ardore caritatis, præcedit ordinem Cherubino-rum, qui dicitur a perfectione scientie. 4. Visio Dei ordinatur ad ejus amorem, juxta illud Anselmi l. 2. cur Deus homo, Cap. 1. rectus ordo est cognoscere, ut diligamus; per versus autem diligere, ut cognoscamus; atqui quod ordinatur ad aliud, imperfectius est eo, ad quod ordinatur: ergo. 5. Quod posterius est generatione, perfectius est; natura enim semper ab imperfectioribus incipit; atqui amor, etiam Patrie, est posterior visione; siquidem amor supponit cognitionem: ergo. Confirmatus. Beatitudo essentialis est quid ultimum; atqui actus voluntatis, scilicet amor fructivus, est ultima operatio in beatis: ergo. 6. Tandem illud est melius, cujus oppositum est pejus, nam, ut dicitur Arist. 7. Eth. pessimum opponitur optimo; atqui odium Dei, quod opponitur charitati, est pejus carentia visionis Dei, que opponitur visioni: ergo caritas est melior visione.

R. N. Ant. Ad 1. prob. N. Conseq. ad prob. N. Ant. universaliter sumptum: contingit enim, quod genus imperfectius contrahatur per speciem perfectiorem specie alterius generis perfectioris. Sic corpus incorruptibile, ut cœlum, generis sumptum, est perfectius corruptibili, & tamen corruptibile contrahitur per differentias viventis & rationalis, que sunt perfectiores differentie colorum. Cujus ratio est; quia genus est totum potentiale, non continens actu differentias, sed potentia tantum, assimilaturque materie in ordine ad formas. Unde, sicut materia imperfectior potest actuari per formas perfectiores, ut patet in materia sublunari, que est imperfectior celesti, & tamen actuari per formas perfectiores; ita genus imperfectius potest contrahi per differentias perfectiores. Ex hoc ergo, quod caritas sit perfectior fide tenebris involuta, male inferitur, quod genus volitivum sit perfectius intellectivo, & consequenter quod caritas sit perfectior visione clara Dei.

Ad 2. probationem, R. S. Thomam loqui de amore, & cognitione secundum statum viæ, in quo amor rerum superiorum secundum quod est perfectior earum cognitione, quia amor fertur in res, ut sunt in se; earum autem cognitio in via non attingit illas ut sunt in se, sed per species haustas a materialibus; que ideo non representant res superiores ut sunt in se, sed secundum similitudinem materialium, a quibus sunt haustæ, & hæc ratio est amor rerum superiorum est perfectior earum cognitione. At vero in patria intellectus non cognoscit Deum per speciem, sed ut est in se. Ad 3. R. similiter Seraphim, & Cherubim denominatos fuisse ab amore & cognitione viæ: unde Actor 1. p. q. 109. art. 1. dicit, demones aliquando fuisse in ordinibus Angelorum, sed ab eis excidisse. Vel, ut alii dicunt, Seraphim & Cherubim denominantur, non ab amore proprio & scientia propria, sed a ministerio & influxu, quem habent in alios. Influxum autem Seraphim amorem, Cherubim scientiam non beatam, seu influxum per revelationem extra verbum: cognitio autem Dei extra verbum, vel sit per effectus, & non ut est in se, est secundum quid imperfectior amore beato. Ad 4. D. Maj. Visio Dei ordinatur ad ejus amorem ut causa ad effectum, vel essentia ad proprietatem, C. Maj. ut medium ad finem, N. Maj. & distinctione

applicata Min. N. Conseq. nec aliud vult Anselmus; cum enim sit talis ordo inter intellectum & voluntatem, ut prior sit intellectus; deinde sequatur voluntas; perversus ordo foret amare ad intelligendum, rectus intelligere ad amandum, ly ad dicente habitudinem cause ad effectum, non medi ad finem, aut ejus consecutionem.

Si dicas: Visio ordinatur ad amorem, ut perfectibile ad perfectionem; atqui perfectibile ordinatur ad perfectionem, ut medium ad finem: ergo. R. D. Maj. Visio ordinatur ad amorem ut perfectibile ad perfectionem accidentalem, C. Essentialem, N. Et ad hunc sensum D. Min. N. C. Itaque perfectio essentialis, rem constituens in esse, se habet ad illam ut finem ad medium; at perfectio accidentalis supponens rem essentialiter constitutam e contra se habet ad illam ut medium ad finem, non consequendum sed exornandum, ut patet in omnibus proprietatibus, que perficiunt accidentaliter essentiam, ex qua fluunt, perfectione quam ex illamet hauriunt, & ad quam ordinantur ut ad finem condecorandum. Potest etiam intelligi Anselmus cum Cajetano de amore & cognitione viæ, in qua verum est, quod cognitio Dei ordinatur ad amorem, ut ad finem non ultimum sed proximum, quo tanquam merito ad finem ultimum progredimur. Sed in Patria Beatus non videt clarè Deum, nec eum possidet ut amet; sed ex eo quod videat eum clarè, eumque possidet, ipsum amat & ardentius amat, eoque fruitor, quamvis ulterius per charitatem, que est amor amicitie, & se & suam visionem seu beatitudinem referat ad Deum propter se dilectum. Verum amor, quo appetimus visionem Dei, non est amor amicitie, sed concupiscentie; appetimus enim illam nobis ut bonum nostrum, non ut bonum Dei.

Ad 5. D. Maj. Quod est posterius generatione ante rem constitutum, & tanquam dispositio ad illam, est perfectius, C. Maj. Quia dispositiones ad constitutionem rei, eo sunt perfectiores, quod constitutioni rei sunt propinquiores; & hæc sunt posteriores generatione; quia, ut dictum est, natura sicut a remotioribus, ita ab imperfectioribus dispositionibus incipit. Quod est posterius generatione post rem constitutum tanquam proprietates sequens ad illam, est perfectius, N. Maj. Quia post rem constitutam, quod est posterius generatione, est ab essentia remotius & ideo imperfectius: Unde intellectus, qui prius dimanat ab essentia, & eo mediante voluntas, est voluntate perfectior. Ad Confirmationem similiter, D. Maj. Beatitudo formalis est quid ultimum simpliciter, & per modum consecutionis, C. est quid ultimum secundum quid, & per modum complementi & proprietatis, N. Solutio patet ex dictis.

Ad 6. R. Hoc argumentum nimis probare. Ex eo enim, si quid probet, sequitur actum cujusvis virtutis etiam infimæ esse perfectiorem, & meliorem visione Dei, cum oppositum hujus virtutis, scilicet vitium, sit pejus carentia visionis divine. Istud ergo principium ex Arist. desumptum intelligendum est in esse morali: non in esse physico, in quo privatio visionis Dei est pessima, & peior odio Dei, utpote privatio ultime perfectionis hominis constituens ejus damnationem. Sed & dato hoc principium currere etiam in esse physico, neganda est Conseq. quia comparatio amoris, & visionis quoad sua opposita, scilicet odium Dei & privationem visionis, non recte instituitur, cum non sit oppositio in eodem genere. Odium enim Dei opponitur amorì contrariè, carentia visionis opponitur visioni privativè; & ideo ab uno ad aliud non est legitima consequentia. Ut ergo justa foret comparatio, & legitima consequentia, deberet amorì Dei opponi privatio amoris, sicut visioni opponitur privatio visionis; & tunc verum est pessimum opponi optimo; privatio enim visionis Dei est peior privatione amoris Dei, quia illa est privatio majoris perfectionis, quam ista.

Obj. ultimum. In eo consistit essentia rei, ex quo sequuntur ejus proprietates; atqui proprietates beatitudinis, scilicet fructio, pax, gaudium, impeccabilitas, perpetuitas, &c. non videntur sequi ex actu intellectus, sed potius voluntatis, cum hæc pertineant ad voluntatem: ergo. R. Has & alias Beatitudinis proprietates sequi ex visione Dei, vel immediate, vel mediate, mediante scilicet voluntate; cujus & eorum, que in illa fiunt, intellectus est radix, ut magis patebit ex Art. subsequ.

ARTICULUS III.

Utrum anime Justorum, corporibus solutæ, & plenè purgatæ, statim consequantur suam Beatitudinem.

Circa propositam Questionem duplex fuit error. Primus Mil-lenariorum, qui ex c. 20. Apoc. male intellecto docebant, Christum post universalem carnis resurrectionem secundum aliquos, vel post resurrectionem Justorum dumtaxat secundum alios, regnaturum in terris cum Justis mille annis ante Judicium universale, & priusquam hi Justis Dei visione fruenter in Cœlis. Hoc ultimum colligo ex S. Epiphano her. 77. ubi contra Apo-

Apollinarem, qui hunc errorem suscitaverat, scribens, dicit: Sed ita ille statuit. Primum in toto illo millenario curriculo naturalibus nos voluptatibus esse fruendos, labore ac dolore sublato: quo quidem evolutio tempore, eorum que dicta sunt participes futuros; quod haeec verba declarant, quae nec oculus vidit, nec auris audivit. Et ex Aug. 20. de Civ. c. 7. ubi, recensita Millenariorum sententia, & c. 20. Apoc. cui innitebantur, ait: Quae opinio esset utcumque tolerabilis, si aliquae deliciae spirituales in illo sabbato affuturae Sanctis per praesentiam Domini crederentur.

Hujus erroris Auctores fuerunt Cerinthus Hæresiarcha, & S. Papias martyr; diverso tamèn sensu. Cherinthus, revelationes sibi ab Angelo factas mentiens, hoc millenarium regnum commentus est transigendum in immoderatis, & obscenis voluptatibus ventris & carnis; hujus regni sedem fore urbem Jerusalem de novo ædificandam; item templum restaurandum, præcepta & sacrificia Legis Mosæ immovanda, & homines more Judaico circumcidendos. Undè ejus Sectatores dicti sunt Græcè Chiliasæ, Latine Millenarii. Papias autem hos mille annos in terrestri Jerusalem dicit explendos in voluptatibus corporis quidem, sed moderatis & licitis; neque sive Templi, sive Legis, sive circumcisionsis, sive sacrificiorum instaurandorum meminit.

Fuit autem iste Papias Episcopus, non Jerosolymitanus, ut scripsit quidam recentior, sed Hieropolitanus in Asia, Auditor Joannis, non Evangelistæ, juxta Eusebium hist. l. 3. c. ult. sed alterius Joannis dicti Senioris, seu Presbyteri, qui fuit etiam Episcopus Ephesi: licet S. Irenæus, S. Hieron. & alii in hoc Eusebio contradicant. Papiam virum fuisse pertenuis ingenii, colligit Eusebius ibidem ex ejus Scriptis; attamen propter convicium sive cum Apostolis, sive cum Discipulis Apostolorum, atque coronam Martyrii, magnam in Ecclesia venerationem erat adeptus. Hujus errorem in hac parte secuti sunt plures trium priorum sæculorum Patres, Tertullianus, Irenæus, Justinus Martyr, & alii, decepti apocryphis Domini Sermonibus, quos ipse Papias conscripserat ex malè intellectis quibusdam Apostolorum traditionibus.

Alter error tribuitur Joanni XII. Pontifici Max. qui dicitur censuisse & docuisse, animas Sanctorum purgatas non visuras Deum facie ad faciem, seu ut ipse dicebat, facialiter, antè generale judicium. An ita sit, dicemus in Digressione historica.

Dico 1. Millenarium Christi in terris Regnum cum Sanctis est fœdium. Prob. 1. ex Scrip. Matth. 22. dicitur: In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt, sicut Angeli Dei: ergo Christi Regnum cum Sanctis non erit in voluptatibus carnalibus, etsi moderatis. 2. Regnum Christi futurum æternum Angelus vaticinatur, Luc. c. 1. Regnabit in Domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis. Et Matth. 24. & 25. in extremo judicio, sicut Reptrobi mittuntur in gehennam æternam, ita Sancti invitantur in Regnum æternum: quod & definitur Ecclesia in Conc. Constantinop. his verbis Symboli: Cujus Regni non erit finis: ergo Regnum Christi cum Sanctis non est circumscribendum mille annis.

Prob. 2. ex Patribus, qui hunc errorem oppugnant. 1. ex Cajo peñtino Scriptore apud Eus. lib. 3. c. 22. 2. Ex S. Dionysio Alexandr. lib. de promissionibus. 3. Ex Euseb. l. 3. cit. c. 33. ubi de S. Papiæ Commentariis agens dicit: Quæ peregrinas quasdam Servatoris parabolas & novas ejus doctrinas, aliæque nonnulla commentariis fabulis referta continent: in quibus asserit, Regnum Christi, post universæ carnis a mortuis resurrectionem, mille annos humano, & corpore more in terra hæc consistaturum & stabilium fore: quæ quidem dogmata credo cum propterea excepisse, quæ Apostolicis interpretationes, quæ ab illis essent arcana figuris & parabolis subscuris exposita, male intellexisset. 4. Ex S. Hieron. in præfat. l. 18. comm. in Is. 5. Ex S. Epiphano her. 77. hunc errorem ab Apollinari suscitatum refellente. 6. Ex S. Aug. l. 20. de Civit. c. 7. ubi fatetur se aliquando fuisse hujus sententiæ.

Prob. 3. ratione: Fictitium est millenarium Christi Regnum in terris cum Sanctis post generale judicium, si Sancti statim a morte, dum plene purgati sunt, consequantur in Cælo claræ visionem, & in eo beatitudinem summam, inamissibilem, & æternam; atqui sic est, ut probabitur conclusione sequenti: ergo.

Obj. 1. celebrem & obscuram Apocalypsis locum c. 20. ubi hæc habentur: Et vidi Angelum descendentem de celo, habentem clavem Abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per mille annos: Et misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius Gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium daturum est illis: & animas decoloratorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, &

qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis; & vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis. Hæc est resurrectio prima. Beatus & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secundæ mors potestatem non habet: sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terre, Gog & Magog, &c. atqui illud ipsum est Regnum Millenariorum: ergo.

R. N. Subsumptum; quia nulla fit ibi mentio neque legis neque circumcisionsis reviviscendæ, neque templi Jerosolymitani restaurandi, ut commentus est Cerinthus; neque voluptatum corporearum, etiam moderatarum, ut fabulatus est Papias. Itaque intelligitur ille locus Apocalypsis de Regno spirituali, quod justi agunt & agent cum Christo toto illo intervallo, quod intercedit a morte Christi usque ad adventum Antichristi: ita ut mille annos, inquit Aug. l. 20. de Civ. c. 7. pro omnibus annis hujus sæculi possit, ut perfectio numero notaretur ipsa plenitudo temporis, juxta phrasin Scripturæ solemnem, quæ multitudinem maximam & indefinitam sæpe numero millenario designat, secundum illud Ps. 104. Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes, id est, in multas generationes. Item Ps. 89. & Job. 9. Totum hunc locum ad sensum datum interpretatur Aug. loc. cit. & illustrissimus Bossuetius in Exposit. Apocal. c. 20. Videtis.

Obj. 2. & urgebis, auctoritates plurimum Patrum trium priorum sæculorum, Justini, Irenæi, Tertulliani, Lactantii, Severi Sulpitii, & aliorum, qui millenarium Christi regnum propugnavit: ergo. R. laudatos Patres, ut jam dixi, fuisse deceptos apocryphis sermonibus Domini, quos Papias ex quibusdam malè intellectis traditionibus oralibus Apostolorum conscripserat. At ubi innotuit hos sermones esse suppositios, statim omnes Patres hæc de millenario Christi regno opinionem impugnavit.

Inst. Juxta Tertull. de præscript. hæret. c. 31. Id est Dominicum & verum, quod est prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod est posterius immixtum; atqui opinio de millenario Christi regno cum Sanctis prius tradita est, cum eam asseruerint Patres trium priorum sæculorum: ergo. R. N. Min. Quia censetur illud traditum, seu habere vim traditionis, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est, ut ait Vincenzus Lirin. in comment. Sententia autem de millenario Christi regno cum Sanctis, nec semper, nec ubique, nec ab omnibus tradita est tribus prioribus Ecclesiæ sæculis: siquidem Cælius, antiquissimus Scripturæ 2. aut saltem 3. sæculi, & S. Dionysius Alexandr. qui florebat circa medium tertii sæculi, illam oppugnaverint, & ipse S. Justinus Martyr, hujus sententiæ Patronus, in Dialog. cum Tryphone testatur multos, qui piæ christianæque sententiæ, huic sententiæ fuisse refragatos; verba ejus sunt: Non eod. sum miseræ redactus, o Trypho, ut alia, quam sentiam, loquar; confessus sum tibi & ante me quidem & alios plures, eadem mecum sententiam arbitrari, id scilicet plantæ scitis futurum: Multos vero etiam, qui puræ piæque sunt Christianorum sententiæ, hoc non agnoscere, tibi significavi. Hunc locum a Josepho Medo Hæretico protestante fuisse depravatam, observat Illustrissimus Bossuetius in expositione Apoc. cap. 20.

Obj. 3. illud Matth. 26. Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei: ergo in Regno Christi deliciis corporalibus cibi, & potus perfruatur Sancti. R. N. Conseq. Quia illa verba, sicut alia Scripturæ loca, in quibus fit mentio de cibo & potu, mysticè sunt intelligenda de spiritualium deliciarum fructione. Vel, ut interpretatur Chrysost. illa verba referenda sunt ad tempus, quod inter Resurrectionem & Ascensionem Christi intercessit, quo novo modo bibit de hoc genimine vitis, ut suæ Resurrectionis veritatem probaret.

Dico 2. Anima Justorum corporibus soluta, & plene purgata statim consequuntur suam beatitudinem, claram scilicet, & facialem visionem Dei.

Est nunc de fide decisa in Cone. Flor. Sess. ultima, ubi dicitur, animas, corporibus exutas et purgatas, in Cælum modo recipi, et intueri clarè Deum unum et trinum, sicuti est. Idem antea definitur Benedictus XII. Joannis XXII. Successor, atque contrarium declaraverat hæreticum, Decretali, Benedictus Deus.

Hanc veritatem aperte indicat Apostolus ad Philip. 1. dum dicit: cupio dissolvi et esse cum Christo. Fuisset namque inutile hoc desiderium Apostoli, si non sperasset se statim a morte visurum Deum. Idem docent SS. Patres, Fulgentius scribit de S. Steph. Hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad Cælum. Cyprianus Libello ad Fortunat. c. 12. ait. Martyres claudere in momento oculos, quibus homines videantur

ARTICULUS IV.

De Proprietatibus Beatitudinis.

Essentiam sequuntur proprietates. Beatitudinis essentialis proprietates sunt præsertim amor, impeccabilitas, & perpetuitas, & inamissibilitas: De quibus sequentibus §§. dicemus.

§. I. Utrum videntes Deum illum necessariò ament, necessitate quoad exercitium?

Nota: Est distinctio necessitatis in necessitatem quoad specificationem, & necessitatem quoad exercitium. Necessitas quoad specificationem est, quæ quis potest quidem suspendere actum circa aliquod objectum, sed si velit in aliquem actum erumpere circa illud, non potest nisi actum talis speciei, puta amorem, elicere, non odium. Necessitas quoad exercitium est, quæ quis constringitur non solum ad actum talis speciei, si velit agere, sed ad ipsum agere; ita ut non possit actum suspendere, nec ab illo cessare. De hac necessitate hæc est questio. Certò enim constat, Beatum non posse odisse Deum clarè visum ut est in se, cum in eo non possit apparere ratio mali, subindeque necessariò ad ejus amorem necessitate specificationis.

Dico: Visionem beatificam sequitur felix amandi necessitas etiam quoad exercitium. Est communior contra Scotistas. Prob. Tunc est necessitas exercitii, quando non remanet in voluntate facultas suspendendi actum; atqui in conspectu Dei clarè visi non remanet in Beatificam facultas suspendendi amorem erga illum: ergo. Prob. Min. Tunc non remanet in voluntate facultas suspendendi actum, dum non remanet indifferentia judicii circa illum actum: Voluntas enim est potentia cæca sequens ductum intellectus, in cuius indifferentia radicatur ejus libertas; atqui in conspectu Dei clarè visi non manet indifferentia judicii circa ipsum, & ejus amorem exercendum: ergo. Prob. Min. Per claram Dei visionem intellectus proponit Deum voluntati ut summum bonum, summè amabilem, ejus amorem ut tanti ac infiniti boni complexum, & fructuonem; nec aliter representare potest, quia est immunis ab errore, ita ut neque in objecto, neque in ejus amore possit apparere, vel umbra mali, aut tædii, aut defatigationis, vel alicujus ex ulla parte disconvenientis, aut impeditivi majoris boni: ergo in conspectu Dei clarè visi non remanet indifferentia judicii circa ipsum, & ejus amorem.

Confirmatur. Tunc non est in voluntate potestas suspendendi actum circa bonum; quando totalitè a bono impletur, adæquatur, & vincitur; atqui voluntas Beatorum totalitè impletur, adæquatur, imò inundatur, & vincitur a summo bono, quod est Deus, juxta illud Exod. 33. Ostendam tibi omne bonum: ergo. Prob. Maj. Voluntas est potentia mobilis a bono proposito per intellectum, ab illo enim trahitur, & allicitur; atqui in mobili non manet indifferentia, seu facultas resistendi suo moventi, quando tota potentia mobilis adæquatur, impletur, & vincitur a virtute moventis; si enim tota potentia mobilis impletur, & adæquatur, totum, quod poterat resistere moventi, vincitur: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Munit objecti non est movere quoad exercitium, sed tantum quoad specificationem, quia motio quoad exercitium est cause efficiens, & impellentis: objectum autem non habet rationem cause efficiens, sed formalis tantum, quatenus dat speciem actui: ergo Deus clarè visus non necessitat ad amorem quoad exercitium. Undè S. Thom. infra q. 10. art. 2. o. dicit: Voluntas movetur duplicitèr, uno modo quoad exercitium, alio modo quantum ad specificationem actus, quæ est in objecto. Primo ergo modo voluntas a nullo objecto ex necessitate movetur, potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare, & per consequens neque actu velle illud. R. D. Consequens: ergo Deus clarè visus non necessitat ad amorem quoad exercitium, immediatè vi, & ex formalitate objecti, C. Cons. mediatè & ex natura ipsius voluntatis, N. Cons. Explicatur: Verum est, quod objectum, vi & ratione objecti præcisè non habeat nisi determinare voluntatem ad speciem actus; sed voluntatis dispositio, & natura est, quod, si objectum ipsi proponatur sine indifferentia, adæquans, & implet omnem ejus capacitatem, necessariò feratur in illud. Est enim voluntas potentia naturalis, & libera, agit ut libera circa objectum sub indifferentia propositum, agit ut natura circa objectum sine indifferentia propositum, sive iste indifferentiæ defectus proveniat ex imperfectione cognitionis, ut in motibus subitanis, sive ex perfectione cognitionis exhibentibus bonum universale, ut est in se adæquans, imò & superans omnem capacitatem voluntatis; ut est visio clara Dei. Sic ergo intelligendus est S. Thom. quod voluntas a nullo objecto necessitetur quoad

car, & mundus, & aperire eosdem statim ut Deus videatur, & christus, Greg. super 4. Ps. ponit. Beatitudo & animabus Sanctorum ante Resurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominus post judicium. Similiter Chrysost. Hom. 10. in 2. ad Cor. Ambros. l. 10. in Luc. Aug. in Ps. 119. & alii. Ecclesiam autem in ea semper fuisse sententia ex eo constat, quod ab omni retro tempore diei mortis Sanctorum semper voaverit, & vocet, Natælem; quia tunc nascuntur ad vitam gloriæ.

Ratione suadet. Anima Sanctorum, quibus nihil purgandum restat, habent meritum gloriæ, neque est aliquid, quod ipsas impedit, aut retardet a consequenda gloriæ: ergo sine fundamento dicitur differenda in diem judicii. Ant. pro 1. parte constat. Prob. pro 2. parte. Si esset aliquid impedimentum ipsas retardans a Resequenda gloriæ, vel esset ex parte Cæli, quod nondum esset apertum; vel ex parte corporis, quod foret necessarium ad visionem beatificam: (3. p. q. 49. a. 5. ad 4.) Non primùm, quia Christus ascendens in Cælum illud nobis reservavit. (Hic q. 5. a. 5. o.) Non secundùm, quia visio beata non pendet a phantasmatibus corporalibus: ergo.

Ceterum, (Ibid.) quamvis anima juxta independentèr a corpore possit beatitudinem essentialem, quia tamen naturalitèr appetit uniti corpori, & oporari in illo, non erit completa, & omnibus numeris absoluta beatitudo nisi in Resurrectione generali, in qua totus homo, & quoad animam, & quoad corpus beatificabitur.

Obj. 1. Scriptura pluribus in locis testatur, Beatitudinem essentialem, quæ est merces bonorum operum, reservari in diem judicii: ergo. Prob. Ant. 1. Matth. 25. ubi describitur Judicium universale, dicitur: Ibi erit malis in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. 2. Apost. 2. Tim. 4. Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Index. 3. Apoc. 6. Vidi subitus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & dicitur eis illis; ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec complerentur conservi eorum; hæc est, ut expectent tempus resurrectionis, & generalis judicii, in quo, electorum numero completo, omnes simul recipient mercedem. 4. Denarius Evangelicus solvit tantum sub vespere Matth. 20; atqui per denarium intelligitur beatitudo, per vespere finis mundi: ergo. R. D. Ant. Beatitudo essentialis reservatur in diem judicii, ut absolute conferatur, N. Ant. Ut conferatur solemnitèr cum publico honore, & manifestatione bonorum operum, C. Ant. Item reservatur in diem judicii, ut conferatur animæ, N. ut conferatur toti homini. C. Et hoc alterutro sensu intelligitur primum testimonium.

Ad 2. Apostolus loquitur de die mortis suæ, de quo præmiserat, tempus resolutionis meæ instat. Ad 3. intelligitur de desiderio anime ad corpus, quod complebitur in resurrectione, cum totus homo beatificabitur. Interim autem animas sanctas beatitudinem essentiali esse donatas, constat ex eodem loco, ubi dicitur: Date sunt illis singule stolas albe; per stolas autem intelligunt Patres Beatitudinem essentialem: & c. 7. seq. dicitur quæ ante thronum Dei. Ad 4. N. Min. pro secunda parte, esse per vespere finis vitæ cujuslibet in vinea Domini laborantis intelligitur.

Inst. 1. Non est decium de sorte mortuorum antè judicium generale: ergo. Prob. ex praxi Ecclesiæ, quæ in Missa pro Defunctis sic orat pro iis etiam, qui ab exordio Ecclesiæ obierunt: Domine... libera animas omnium Fidelium Defunctorum de penis Inferni: ergo. R. N. Ant. ad Prob. N. Conseq. Sic enim orat Ecclesia, quia, cum seiat Deo nihil esse preteritum, nec futurum, agit quasi Fideles isti actu obirent: sicut in Adventu cantat expectando adventum Christi, licet venerit.

Inst. 2. Si mortui statim præmierent, ac sunt purgati non expectata resurrectione, non esset superfluum pro ipsis orare, etiam si nulla esset spes resurrectionis; atqui 2. Machab. 12. dicitur: Nisi enim eos, qui ceciderunt, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis: ergo. R. D. Maj. Si mortui, &c. non foret superfluum pro ipsis orare, etiam si nulla esset spes resurrectionis corporalium, Transerat Maj. Etiam si nulla esset spes resurrectionis a flammis purgandis ad beatam, & æternam vitam, N. Maj. de hac autem secunda resurrectione loquitur Scriptura: non enim est spes nisi de bono, & ideo sola resurrectio iustorum ad vitam beatam speratur: resurrectio autem impiorum ad supplicium non speratur, sed creditur.

Obj. 2. Joannes XXII. definit contrarium nostræ conclusioni: ergo. Pro solutione hujus objectionis, vide Digressionem historicam in calce hujus Dissertationis.

quoad exercitium vi, & ex formalitate objecti præcisè, non autem ex natura sua, si objectum sine indifferentia proponatur. Insuper S. Thom. ibi non loquitur universaliter de omni objecto voluntatis, sed de objecto voluntatis pro hac vita, in qua fatemur voluntatem a nullo objecto necessitari quoad exercitium, nisi ex defectu cognitionis, ut jam dixi. Patet ex ipsis verbis S. Doctoris: *a nullo objecto, inquit, voluntas ex necessitate movetur quoad exercitium; potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare*; quæ ratio verificari tantum potest pro hac vita, non de clara Dei visione in patria, a qua quis oculum mentis divertere non potest, cum sit æterna, & immutabilis, ut docet ipsemet S. Doctor.

Instr. 1. Juxta Aug. in Enchir. c. 105. *Voluntas non est, aut libera est*: ergo omnis ejus actus est liber. R. N. C. seu D. Ergo omnis actus voluntatis, ut liber, est liber, C. Ut natura est, N. Non ergo ex hoc, quod voluntas sit libera, sequitur quod in omni suo actu sit libera; neque hoc dixit Aug. Sed sufficit, quod sit libera in aliquo suo actu: sicut ex hoc quod intellectus hostis sit discursivus, non sequitur, quod in omni suo actu discurrat; discurret enim tantum circa conclusiones, non circa principia. Potest etiam dici, quod Aug. loquatur de libertate a coactione, ut ipsi familiare est; quæ libertas comitatur voluntatem in omni suo actu, non enim potest cogi voluntas in actibus suis elicitis, ut dicam infra.

Instr. 2. Actus necessarius non potest crescere, cum enim necessarius emanet a voluntate, toto conatu emanat; atqui amor est intensior in uno beato, quam in alio, & qui inferior est in amore, potest desiderare gradum altiore: ergo. R. N. Ant. Cujus falsitas patet in motibus tum naturalibus, tum sensitivis brutorum, tum subitanis voluntatis. Hi omnes motus sunt necessarii, & tamen possunt crescere, & esse majores in uno, quam in altero: Sic lapis, & palea necessarîo moventur in centrum, velocius tamen lapis, quam palea: Sic bruta necessarîo moventur in cibum, unum tamen vehementius altero: Sic motus primò primi sunt necessarii, & tamen alii aliis impetuosiores, potestque unus per illos desiderare, quod alter habet. Et ut extra præsentem materiam non excurramus, visio beata est necessaria, & tamen major in uno, quam in altero: quidni pariter amor, quantumvis necessarius, possit esse major in uno, quam in altero? Nec refert, quod toto conatu a voluntate emanet, si majori charitate feratur, & clariori visione reguletur, quia non emanat a voluntate nisi mediante habitu charitatis, & principiante atque regulante visione beata: sicuti, ut jam dixi, motus in centrum est a lapide, & palea toto conatu, & tamen major est impetus in lapide, quam in palea.

Ad id, quod additur, unum beatum posse desiderare gradum superiorem, negandum est id fieri; quia unusquisque Beatus est sua sorte contentus, & plenè satius, ex eo quod assuetio ultimi finis, & summi boni satiet appetitum ratione substantiæ, quia est summum bonum possessum, non ratione modi, quo datur magis, vel minus intensè: sicut alimentum ratione suæ substantiæ satiat stomachum, non ex modo comedendi, aut digerendi magis, vel minus intensè. Præfigitur autem modus a Deo unicuique juxta mensuram charitatis, & gratiæ, quam habuit in termino vite, & majorem non desiderat, quia major illi non debetur: sicut, qui minus famet, & minus manducat, ut alieni dicit S. Thom. non plus desiderat, & æquè satiatur ac ille, qui plus famet, & plus manducat. Item parvus homo breviori veste est contentus, nec ampliorem, desiderat, qualem habet alter grandior.

Instr. 3. Amor Patriæ est idem ac amor viæ; atqui amor viæ est liber: ergo. R. D. Maj. Amor Patriæ est idem ac amor viæ, & eodem modo regulatus, N. Maj. Et diverso modo regulatus, C. Maj. Amor enim viæ dirigitur, & originatur a iudicio, & dicamine indifferenti: in Patria verò, a iudicio proponente bonum universale ut est in se absquè mixtura, vel umbra mali, consequenter absquè indifferentia. Utrum autem sit idem numero, an specie tantum amor viæ, & patriæ, nihil refert, ut non excidat charitas.

Instr. 4. In via Deus per fidem proponitur etiam voluntati ut summum, & universale bonum; atqui tamen amor inde proveniens est liber: ergo. R. D. Maj. Deus per fidem in via proponitur voluntati ut summum, & universale bonum, obscurè, & per alienas species, consequenter relinquens locum iudicio indifferenti, C. Maj. Clarè, ut est in se, absquè indifferentia, N. Maj. Et concessa Min. N. Conseq.

Instr. 5. Beatitudo ut sic proponitur voluntati sine indifferentia; atqui tamen voluntas non coarctatur circa illam quoad exercitium: ergo similiter circa Deum clarè visum. R. Si agatur de amore actuali, & explicito beatitudinis ut sic, N. Conseq. Disparitas est 1. quod intellectus possit cessare, & quandoquæ cesset a propositione beatitudinis ut sic, ut quando homo dormit. 2. Quia in isto amore exercito, & explicito beatitudi-

nis ut sic non est situs ultimus finis hominis, nec omne bonum, sed potest illi esse radosus, lassans, disconveniens, vel impedivus majoris, & necessarij boni, ut dum necessitas urget aliquid aliud faciendi. Secus in amore Dei exercito, in quo nec vel umbra radosi, aut disconveniens esse, seu apparere potest. Si verò agatur de amore beatitudinis virtuali, & implicito, ab eo cessare non potest voluntas; quidquid enim vult, vult ut bene sit & propter felicitatem in communi; unde etiam cum absint ab amore actuali, & explicito felicitatis ut sic, quia foris radosus, aut disconveniens est, id facit ut bene sit & propter felicitatem in communi.

Instr. 6. Amor Dei in Christo erat liber, per illum enim Christus meruit; atqui amor Dei in Christo regulabatur scientia beata, Christus enim erat simul viator, & comprehensor: ergo. R. D. Maj. Amor Dei, secundum se consideratus, in Christo erat liber, N. Maj. Amor Dei, ut est ratio diligendi creaturas, C. Maj. Quia distinctio applicata Min. N. Conseq. Sed de hoc argumento latius in Tract. de Incarn.

Instr. 7. Amor Beatorum est perfectissimus; atqui amor liber est perfectior necessario. R. D. Min. Amor liber est perfectior necessario, si necessitas oriatur ex imperfectione cognitionis, ut in motibus subitis, C. Min. Si necessitas oriatur ex perfectiore, & pleniore cognitione objecti; ut in Beatis, N. Min. Quia: cum indifferentia libertatis oriatur ex capacitate, & universalitate voluntatis, quæ a nullo bono particulari, & limitato impleri potest, & ideo possit ab illo divertere, & ad aliud se convertere; si tale ac tantum objectum ipsi proponatur, quod adimpleat, & adæquet ejus capacitatem, & universalitatem, tollitur indifferentia, non quidem minuendo capacitatem, & universalitatem, sed adimplendo, & satiando. Iste autem modus non est imperfectior, quam modus libertatis, sed contra est altior, & eminentior, quia totam universalitatem, & in ea fundatam indifferentiam implet, & adæquat; & ideo eminenter habet libertatem. Iterum de hoc argumento Tract. seq.

Dices: Deus potest stante visione beata impedire amorem per suspensionem sui concursus: ergo amor non habet essentialem connexionem cum visione: ergo homo beatus potest illum suspendere. R. N. ultimam Conseq. Ut enim homo non possit suspendere amorem, stante visione, non requiritur, quod amor habeat essentialem connexionem cum visione, sed sufficit, quod necessarîo ex illa fluat tantquam proprietatis, ut patet in omnibus proprietatibus, quæ non habent essentialem, sed tantum necessariam connexionem cum essentia, quas tamen nulla causa creata, sed solus Deus impedire potest; sicut calorem ignis impedit in fornace Babylonis.

§. II. Utrum Beati sint impeccabiles ab intrinseco

Suppono (Hic q. 4. art. 4. o.) tantum certum de fide, rectitudinem voluntatis, seu immunitatem a peccato requiri ad beatitudinem antecedentem, & concomitantem. Antecedentem: dicitur enim ad Hebr. 12. *Pacem sequimini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquis inquinatum, aut abominatorem faciens, & mendacium.* Ps. 14. interrogat Propheta: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondet: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Et ita passim in Scripturis, & Patribus. Ratio etiam suadet: Quia beatitudo est adeptio ultimi finis, finis autem comparatur ad id, quod ordinatur ad finem, sicut forma ad materiam; atqui nihil consequitur formam, si non sit debitè ordinatum ad illam: ergo neque finem, si non sit debitè ordinatum ad illum. Quidquid ergo deordinat a fine, incongruenter se habet ad illum finem, & ideo non consequitur illum. Concomitantem: Patet ex Apost. ad Ephes. 5. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam*; quæ verba communiter intelliguntur de Ecclesia triumphante: & si intelligas de militante, quanto magis conveniunt triumphanti 1. Petr. 1. *Regeneravit nos in spem vivam, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem*, & alibi. Id etiam deducitur ex ipsa ratione beatitudinis, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus non esset autem perfectus in omni bono, si peccatum, & consequenter debitum poenæ admitteret.

Supposito itaque, Beatos neque peccare, neque amplius peccaturos; Quæstio est, utrum etiam gareant facultate peccandi, & unde proveniat ista impeccabilitas. Scotus cum suis dicit, eam provenire ab intrinseco, scilicet ex voluntate, & auxilio Dei protegentis, & conservantis Beatos a peccato. S. Thom. cum suis, & communius dicit, eam provenire ab intrinseco beatitudinis, scilicet ex visione, & amore: cum quibusdam.

Dico: Beati sunt absolutè impeccabiles ab intrinseco, nimirum & ex visione Dei, & ejus amore. *Ibid. q. 4. c. 6. cap. 92.*

Prob.

Prob. 1. pars 1. (4. c. g. cit.) Non potest esse peccatum in voluntate, nisi sit intellectu dictamen defectuosum vel ex errore, vel ex ignorantia, vel ex inconsideratione, quæ proponat voluntati aliquid volendum hic & nunc, quod revera non est volendum, utpotè contrarium aut deficiens a recto & vero fine; atqui intellectus clarè videns Deum non potest habere hoc dictamen defectuosum: ergo. Prob. Min. dupliciter. 1. In intellectu vidente Deum clarè non potest esse error aut ignorantia, cum in Deo videat omnia, quæ pertinent ad suam perfectionem; neque inconsideratio, cum illa Dei visio sit semper in actu & tantæ efficacitatis, ut, qui sic videt Deum, non possit attentius cogitare aut advertere objectum peccati quam ipsum Deum, & id quod ejus voluntati est consentaneum: ergo. Prob. 2. eadem Min. Intellectus videns Deum clarè videt summum & omne bonum hic & nunc amandum necessarîo; atqui, posita tali visione, non potest intellectus apprehendere & proponere voluntati aliquid bonum amabile contra aut extra Deum, seu sine subordinatione & cum deficiantia ab illo; alias jam ipsum Deum non apprehenderet ut summum & omne bonum, cum apprehenderet aliquid bonum amabile extra ipsum; nec etiam apprehenderet ut necessarîo amandum, sed cum indifferentia ut ametur aut deseratur per amorem impossibilem boni extranei & deficientis ab ipso: ergo.

Prob. 2. (Hic cit.) eadem 1. pars conclusionis. Beatus clarè videns Deum non potest velle aliquid nisi secundum Deum & sub ordine ad illum: ergo non potest peccare. Prob. A. Essentia divina, quæ est ipsa bonitatis essentia, sic se habet ad videntem Deum, sicut se habet ratio boni in communi ad non videntem Deum; atqui, qui videt Deum, nihil potest velle nisi sub ratione boni: ergo, qui videt Deum, nihil potest velle nisi sub ordine ad Deum.

Si dicas, disparitatem esse, quod bonum in communi includatur essentialiter in singulis objectis, in quæ voluntas fertur actu prosecutionis, & ideo non possit aliquid velle, quod non sit bonum: at verò Deus non sic includitur essentialiter in singulis objectis voluntatis: R. Licet Deus non includatur essentialiter in objectis voluntatis sicut bonum in communi, attamen, secundum omnes, voluntas videns Deum necessitatur a bono in communi; atqui ex hoc, quod voluntas necessitatur quoad specificationem a bono in communi, non potest velle aliquid ei oppositum velle, sed quidquid vult, necessarîo vult sub ordine ad Deum.

Prob. 2. pars conclusionis. Per amorem beatificum homo convertitur actu continuo ad Deum tantum ad ultimum finem, & illi inseparabiliter, unius atque adheret; per peccatum verò actu avertitur a Deo ut ultimo fine, vel saltem deflectit, si peccatum sit veniale; atqui aversio seu defectio actualis a Deo stare non potest simul cum conversione & adherentia actuali ad illum: ergo.

Ex his rationibus habes, non solum peccatum commissionis, sed etiam omissionis, esse impossibile cum beatitudine; quia ad hoc non minus quam ad illud requiritur dictamen defectuosum, & utrumque est contra aut præter Deum.

Obj. 1. Beatus est capax legis imperantis & prohibentis: ergo est capax transgressionis, alioquin frustra lex illi imponeretur. R. N. Conseq. Beato enim potest imponi lex, non quia eam transgredi potest, nisi sensu mox explicando, sed quia dirigi potest & amat subijci superiori, cujus regulæ immobiliter adheret.

Instr. 1. Illam legem liberè adimplet: ergo posset illam transgredi; libertas enim est ad opposita. R. D. C. ergo posset illam transgredi potentia antecedente, & in sensu diviso, C. potentia consequente & in sensu composito, N. eo scilicet modo quo Christus poterat non adimplere præceptum Patris de morte subeunda. De quo in T. de Incarnat.

Instr. 2. Actu omittente actum præceptum est actus peccare: ergo posse omittente est posse peccare. R. D. Consequens ut aute: Posse omittente actum præceptum potentia consequente & in sensu composito est posse peccare, C. Posse omittente actum præceptum potentia antecedente & in sensu diviso est posse peccare, N. Vide pro utraque hac instantia in 1. part. Dissert. 8. art. 4. §. 2. & quæ dicam de libertate & merito Christi in Tr. de Incarnat.

Instr. 3. In Beatis remanet libertas; atqui potentia peccandi est de essentia libertatis create: ergo. R. N. M. Potentia enim peccandi est potius nævus & defectus libertatis, ipsi proveniens per accidens & ratione subjecti, nondum confirmata in gratia. Ad essentialiam ergo libertatis non requiritur potentia contrarietatis ad bonum & malum, sed sufficit potentia contradictionis ad agere & non agere: unde in Deo est perfectissima libertas absque potentia peccandi.

Instr. 4. Non magis repugnat Beatitudini peccatum, quam tristitia & dolor; atqui in Beato potest esse tristitia & dolor, Theol. Billuart. Pars Secunda.

fuit enim in Christo, qui erat beatus & comprehensor: ergo. R. N. Maj. Quia malum poenæ neque avertit a Deo, neque procedit ex dictamine defectuoso sicut peccatum; unde non pugnat essentialiter cum beatitudine, sed est tantum disconvenientia, quam quidem beatitudo perit excludere; sed quæ exclusio potest miraculosè impediri maxime in via, cum non pertineat ad essentialiam, sed tantum ad statum beatitudinis.

Dico 2. Probabilius est etiam, peccatum habituale esse impossibile cum beatitudine, prout importat præcisè visionem beatificam. Plures probant hanc Conclusionem ex eo, quod visio beatifica supponat gratiam sanctificantem, in cujus privatione consistit peccatum habituale. Probant autem assumptum; quia visio beatifica, cum sit ætus vitalis supernaturalis connaturaliter elicitus, supponit principium radicale vitæ supernaturalis, quæ est gratia sanctificans. Hæc quidem probatio valeret, si principium esset certum: verum illud negant alii Thomistæ, & dicunt gratiam habitalem suppleri posse per auxilium actuale, ut patet in actu supernaturali fidei elicitio a peccatore privato gratia, sed habente fidem. Insuper reputant inconveniens, & minus conforme S. Thom. quod impossibilitas peccati habitualis cum beatitudine videatur repeti ex gratia, & non ex ipsa visione. Posset tamen reponi ex parte alterius, suum principium esse intelligendum de actu supernaturali connaturaliter elicitio, qualis est visio beatifica, non autem fidelis in peccatore; item impossibilitatem peccati habitualis cum visione beatifica semper repeti ex ipsa visione, quia ipsa visio est, quæ exigit gratiam sanctificantem. Cæterum, quidquid sit de ista ratione, non desunt alie. Unde

Prob. Concl. 1. Per visionem beatificam homo est conversus ad Deum, & Deus condonat illi offensam; atqui hæc duo sufficiunt ad justificationem & expulsionem peccati habitualis: ergo. M. patet. Major etiam pro 2. parte conatur, quia Deus illi confert gloriam & gratiam consummatam, illumque constituit heredem: ergo condonat illi offensam. Prob. 1. pars M. Per visionem beatam homo tantum disponitur, ut nihil nisi Deum, aut in ordine ad Deum diligere possit, ut patet ex præcedentibus: ergo per illam est conversus ad Deum; non enim potest haberi major rectitudo voluntatis. 2. Peccatum habituale est voluntarium, est enim privatio gratiæ connotans actum præcedentem, a quo causatur, & fit voluntaria; atqui videnti Deum nihil, quod sit contra Deum, potest esse voluntarium; sicut cognoscenti bonum in communi, nihil, quod sit ipsi contrarium, potest esse voluntarium, ut modo diximus: ergo. 3. Per visionem beatam homo adipiscitur ultimum finem; atqui implicat, quod homo sit adeptus ultimum finem, & simul sit ab eo aversus per peccatum: ergo. 4. Tandem implicat, aliquid esse summe beatum & summe miserum, qualis foret per peccatum habituale: ergo.

Obj. Peccatum habituale consistit in privatione gratiæ sanctificantis; atqui non tollitur privatio nisi per formam oppositam: ergo non potest tolli peccatum habituale sine infusione gratiæ sanctificantis. Subsumo; atqui Deus potest donare hominem visione beata absquè infusione gratiæ sanctificantis: ergo. Prob. subsumptum. Ad visionem beatam non requiritur nisi lumen gloriæ; atqui istud lumen potest esse sine infusione gratiæ sanctificantis: ergo. Hujus argumenti solutio est facilis juxta rationem positam in capite probationum, dicendo visionem beatam ut eliciendam connaturaliter, qualis est & debet esse, necessarîo requirere gratiam sanctificantem. Sed quia hæc responsio patitur difficultatem, aliter R. D. M. Non tollitur privatio nisi per formam oppositam formaliter, N. Nisi per formam oppositam formaliter, vel virtualiter eminenter, C. Sic v. gr. Unio hypostatica non est forma formaliter opposita peccato habituali; si tamen Deus sibi hypostaticè uniret naturam peccato infectam, hoc ipso ista natura mundaretur a peccato & sanctificaretur; quia unio hypostatica est virtualiter eminenter opposita peccato habituali: sic autem visio beatifica est virtualiter eminenter opposita peccato habituali, quatenus ita rectificat hominem, ut ejus voluntas non possit quidquam nisi Deum, aut in ordine ad Deum diligere.

Instr. Opposita sunt in eodem subjecto; atqui visio est in intellectu, gratia in anima, aut voluntate: ergo visio Dei nullatenus opponitur gratiæ privationi. R. D. Conseq. Visio Dei non opponitur privationi gratiæ immediate, C. mediate. N. Visio enim residet in intellectu, intellectus in anima, & anima mediante intellectu est radix voluntatis. Unde posita firmitate visionis beate in intellectu, anima firmatur in bono, & voluntas in sua radice rectificatur.

§. II. Utrum Beatitudo semel adepti sit ab intrinseco perpetua & inamissibilis?

Erra fides est contra errorem Originis, beatitudinem esse sine fine duraturam in perpetua aternitate. Sic passim testatur Script. Sap. 1. Justi autem in perpetuum vivunt. Jo. 10. Ego vitam aeternam de eis. Matth. 25. Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam: & alibi pluries. Idque definitum est in Conc. Lat. sub. Inn. III. c. Firmiter de SS. Tr. omnesque fideles profitentur in Symbolo; credere vitam aeternam.

Sed questio est, ut in precedentibus, an hac perpetuitas conveniat beatitudini ab intrinseco & ex natura sua, ut volunt S. Thom. & Thom. An solum ab extrinseco Dei concursu illam conservante, ut volunt Scotus & Scotista? Et nota bene, in sententia Thomistarum non negari Deum posse de potentia absoluta destruere beatitudinem; id enim apud omnes in confesso est; sed tantum asseri beatitudinem ex principiis suis intrinsecis exigere, quod nunquam desinat: sic dicimus, Angelos & animas rationales esse ex natura sua incorruptibiles, licet Deus possit absolute illos annihilare.

Dico: Beatitudo Sanctorum est ab intrinseco perpetua, & inamissibilis. Est communior cum Auctore. (Hic q. 5. art. 4. o.) Probatur duplici ratione. Prima petitur ex communi ratione beatitudinis. Secunda ex ratione hujus specialis beatitudinis, scilicet visionis Dei. Prima ratio. (Ibid.) Cum Beatitudo sit perfectum bonum & sufficiens, oportet, quod desiderium hominis quietet, & omne malum excludat; atqui homo naturaliter desiderat retinere bonum quod habet, & quod ejus retinendi facultatem obtineat, alioquin necesse est, quod timore amittendi, vel dolore de incurritura amissionis affligatur. Ergo requiritur ad veram beatitudinem, quod homo certam habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam se amissurum. Quae quidem opinio, si vera sit, consequens est, quod nunquam beatitudinem amittet. Si autem falsa sit, hoc ipsum est quoddam malum, falsam opinionem habere; nam falsum est malum intellectus, sicuti verum est bonum ejus. Adde, quod in hac ultima suppositione beatitudo erit imaginaria, sicuti beatitudo dormientium, qui dum expergiscuntur, nihil reale inveniunt.

Dices: Ut Beatus sit quietus & plene satiatus, sufficit, quod ejus beatitudo sit perpetuo conservanda a Deo, idque sciat: ergo. Sed contra: Vel illam conservationem ex natura sua exigit beatitudo, vel non. Si primum, ergo ex se exigit perpetuitatem & inamissibilitatem, quod intendimus. Si secundum, ergo ex se non est plene satiativa & quietativa appetitus Beati, quod tamen est de ratione beatitudinis.

Repones: Falsum supponit S. Thom. nimirum beatitudinem esse bonum perfectum plene satians appetitum: ergo. Prob. A. Visio Dei, quae est beatitudo hominis, non plene satiat ejus appetitum, videntes enim habent ulteriora desideria satiana, v.g. desiderant uniri suis corporibus, habere certas cognitiones, salutem parentum, &c. Imo Christus erat comprehensor, & tamen multa mala perpessus est. R. N. A. Ad prob. D. A. secundum solutionem jam alibi datam: Visio Dei non plene satiat appetitum hominis per se formaliter & immediate, C. A. Radicaliter per suas proprietates, N. A. Quando ergo dicimus cum Auctore beatam Dei visionem esse plene satiativam, non est sensus, quod omnia omnino hominis desideria se sola, aliis exclusis, satiet; sed quaedam per se formaliter, quaedam virtualiter & radicaliter per proprietates sibi connaturaliter debitas. Et ideo nihil obest, quominus Beatus praeter Dei visionem possit aliquid aliud desiderare, modo non desideret (sicut revera non desiderat) nisi vel quod statim accipit, vel quod certo accepturus est, & eo tempore, pro quo desiderat. Hoc autem sufficit, ut inde eruat beatitudinis inamissibilitas, quia sine illa nec formaliter, nec radicaliter satiaret, cum tunc nec ipsa, nec ejus proprietates secure haberentur; non est autem perfecta beatitudo, nec plene satians, quae cum anxietate possideretur. Quantum ad Christum, R. impassibilitatem corporis, quae connaturaliter debebat resultare ex visione Dei, miraculose & ex dispensatione divina fuisse impeditam, quia necesse erat illum pati pro redemptione generis humani.

Secunda ratio. (Ibid.) Visio beata nullam ex se habet causam, per quam possit amittere esse: ergo ex se petit inamissibilitatem. Prob. Ant. Visio beata ex triplici tantum causa cessare potest. 1. Ex parte subjecti videntis Deum, quia non vult amplius videre. 2. Ex parte Dei subtrahentis illam visionem. 3. Ex parte alicujus causae creatae corruptentis illam per introductionem formae contrariae; atqui non potest cessare ex parte subjecti videntis, quia, cum illa visio conjungat actu animam fonti totius boni, voluntas non potest invenire in ea aliquam insufficientiam, vel aliquid incommodum, vel aliquam rationem mali, quo moveatur ad cessandum ab illa. Neque ex

parte Dei; quia, licet Deus, ut dictum est, possit absolute eam annihilare, quia tamen subtractio Beatitudinis semel date judicialiter tamquam merces & praemium est maxima poena & maximum damnum, Deus secundum exigentiam rerum & potentiam ordinariam non infligit aliquam poenam praesertim summam, nisi propter aliquam culpam, quam, ut probavimus supra, Beatus non potest committere. Neque tandem ex parte agentis creati; quia, cum per istam visionem & conjunctionem, quae est immediate ad Deum, mens elevetur supra omnia agentia creata, nullum est, quod possit agere in illam: ergo.

Addo in confirmationem hujus rationis, quod principia visionis beatae, quae sunt lumen gloriae & essentia divina unita intellectui per modum speciei, sint ex se invariabilia & incorruptibilia, quia carent materia, quae est principium corruptibilitatis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Visio beatifica habet ex se potentiam ad non esse: ergo ex se non est incorruptibilis & inamissibilis. R. D. Ant. Visio beatifica habet ex se potentiam connaturalem ad non esse, N. Ant. potentiam praeternaturalem & obedientialem, C. Ant. licet enim ex se petat non desinere & non destrui, potest tamen Deus potentia sua absoluta eam destruere, sed id non officit ejus intrinseco incorruptibilitati & inamissibilitati; quia non hoc sensu dicimus esse inamissibilem, quasi omnipotens non possit illam annihilare, sed quia ex natura sua exigit, ut semper conservetur: sicut dicimus Angelos esse ex natura sua incorruptibiles, licet a Deo possint absolute annihilari.

Inst. 1. Esto visio beata ex principiis extrinsecis & in se sit incorruptibilis, non est tamen incorruptibilis ut in tali subjecto, scilicet beato: ergo potest amitti. Prob. A. Non est debita tali subjecto, nec cum eo habet connexionem necessariam: ergo. R. N. Ant. Ad prob. D. A. Non est debita tali subjecto, ut ipsi primo conferatur, C. Ant. conferitur enim gratuita Dei voluntate: ut semel collata conservetur, N. Ant. cum enim ex suis principiis intrinsecis sit incorruptibilis, nec possit assignari causa, a qua expellatur a subjecto cui inest, petit ex se semper inesse.

Inst. 2. Forma, recepta in subjecto extraneo & non connaturali, inest ei amissibiliter & corruptibiliter, ut patet in calore recepto in aqua; sic, si sit in subjecto connaturali, ut calor in igne; atqui visio beata est in homine tanquam in subjecto extraneo & non connaturali; nam lumen gloriae, a quo dependet, nulli intellectui creato aut ereabili est connaturale, ut alibi diximus: ergo. R. D. Maj. Forma ex se corruptibilis in subjecto extraneo inest ei amissibiliter, C. Maj. Forma ex se incorruptibilis, subdistinguo, ut ante; est in subjecto amissibiliter, si sit assignabilis causa, per quam destruat, C. Maj. Secus, N.

Inst. 3. Omne accidens, cujus proprium est inesse, sequitur naturam subjecti; ut enim communiter dicitur, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; atqui anima seu intellectus Beati est ex se variabilis: ergo. R. D. Maj. (Ibid. ad 1.) Omne accidens sequitur naturam subjecti, si subjecto subjiciatur & subordinetur, Transeat Maj. Si subjectum sibi subjiciat & subordinet, ipsumque elevet ad suam immutabilitatem, N. Maj. Sic autem est in nostro casu. Ex visione namque clara Dei, cum sit gratia consummata & assecutio ultimi finis, voluntas Beati immobiliter & necessario etiam necessitate exercitii adhaeret Deo ut summo bono, ut probavimus in prioribus §§. Et hinc differt visio beata a gratia viae, quae hominis arbitrio subditur. Hujus rei habemus exemplum in subsistentia Verbi unita humanitati, cujus mutabilitatem & corruptibilitatem non participat, sed cui e contra suam incorruptibilitatem communicat. Unde ad Min. Dist. Anima, seu intellectus Beati est ex se variabilis absolute, C. Min. Respective ad Deum clare visum, N. Min. Quia, ut dictum est, ex visione beata voluntas Beati immobiliter adhaeret Deo. Insuper ad commune adagium, non sic debet intelligi, quasi accidens sortitur omnem modum subjecti, in quo recipitur, sed quod in ipso recipiatur eo modo, quo subjectum est aptum illud recipere, quae juxta capacitatem & dispositionem ejus; & ideo dixi in distinctione, Transeat Maj.

Obj. 2. & simil. instabit: Visio Dei, quam Apostolus habuit in via, est ejusdem speciei cum visione Beatiorum; habet enim idem specificativum, scilicet essentiam Dei; atqui ista visio fuit in Apostolo amissibiliter: ergo sic est in Beatis. R. Omissa Maj. quam quidem negat, Dist. Min. Ista visio fuit in Apostolo amissibiliter ex se & principiis intrinsecis, N. Min. Sic enim postulabat perpetuitatem: Miraculose, & per potentiam Dei absolutam, C. Min. Idque, quia Apostolus erat constitutus Doctor gentium, qui ad eam visionem, cujus transeuntem fuerat particeps, innumeros perducere debebat. Si dicas, S. Thomam docere lumen gloriae communicatum fuisse S. Paulo per modum transeuntis ad instar luminis prophetici: ergo non postula-

Dotes Corporis.

labat ex principiis intrinsecis perpetuitatem; R. Habuisse quidem modum dispositionis transeuntis, fuisse tamen habitum quoad substantiam. Comparatio autem S. Thomae cum lumine prophetico stat quoad modum tantum.

Obj. 3. Visio beata est proprietaria gratiae; atqui gratia non est ex se inamissibilis, ut patet experientia quotidiana: ergo nec visio beata. Pater Conteq. quia implicat proprietatem esse magis firmam & immobilem, quam essentiam. Respondent nonnulli, Minorem esse veram de gratia viae, non vero de gratia consummata patriae: sed, ut advertit Joannes a S. Thom. & post ipsum Contensonus, ista solutio patitur graves difficultates, & vix concipitur, quid sit ista gratia consummata, seu quid ista consummatio addat supra gratiam viae. Non quod sit confirmata; talis enim fuit in Diva Virgine, quae tamen non erat beata: non quod sit extra viam, quia animae in purgatorio sunt extra viam, & tamen non sunt beatae; non tandem quod importet gloriam seu visionem, sic enim visio non fluere ab ea tanquam proprietaria, sed constitueret illam confirmatam. R. Itaque facilius cum praefatis Theol. N. M. scilicet visionem beatam esse propriam & rigorose proprietatem gratiae; quia visio datur gratiae ut merces & praemium: quod autem datur alicui ut merces & praemium, non dimanat ab ejus principiis intrinsecis, sed ab intrinseco conferitur. Eatenus vero visio beata dicitur proprietaria gratiae, quatenus gratia ad illam tendit, & illam meretur.

Plura alia visionem beatificam spectantia, v. gr. utrum oculus corporis possit videre Deum: Utrum possit intellectus creatus? Utrum ad id requiratur lumen gloriae? Quid sit lumen gloriae? Utrum essentia Dei videatur absque specie impressa vel expressa? Utrum Beati inaequaliter videant Deum, & unde oritur ista inaequalitas? Utrum comprehendant Deum? Et alia require in Tract. de Deo, Dissert. 3.

ARTICULUS V.

De Dotibus & Aureolis Beatiorum.

§. I. De Dotibus Beatiorum.

Cum per Beatitudinem sit intima inter animam & Deum conjunctio, & quoddam spirituale matrimonium, Dos hic dicitur ad instar dotis, quae datur in sublevamen matrimonii carnalis & ornatum sponsae, eam aptans ad disponens matrimonio. Et quamvis ordinariis dos conferatur a Patre vel parentibus sponsae, quandoque tamen certis de causis etiam conferatur a sponso, puta ex nimio ejus amore in sponsam; & sic est in praesenti. Definunt ergo dos Beatiorum: perpetuus amor & corporis ornatus a Deo collatus, vitae sufficiens, & in aeterna beatitudine jugiter perseverans. (In suppl. q. 95, art. 1. o.)

Dotes Anima Beatae.

Tres communiter assignantur animae dotes in Beatis, scilicet visio, comprehensio seu tentio, & delectatio, correspondentes tribus virtutibus Theologicis, visio fidei, comprehensio spei, & delectatio charitatis. (Ibid. art. 5. o.) Quamvis autem haec nomina sonent operationem, non tamen hic sumuntur pro operationibus videndi Deum, ipsum comprehendendi, & de eo delectandi; in his namque operationibus consistit ipsa beatitudo & conjunctio animae cum Deo; sed pro habitibus seu qualitatibus orantibus & disponentibus animam ad perfectam hanc conjunctionem: sicut dos in matrimonio carnali non est ipsa conjunctio sponsae cum sponso, sed aliquid ornans & disponens sponsam ad illam conjunctionem. Hi autem habitus seu qualitates nihil aliud sunt, quam lumen gloriae & habitus charitatis, non ut sunt principia elicitiva operationum, sed ut elevant animam ad statum altiore & perfectiorem statu viae, cujus imperfectiones excludunt. Igitur

Visio ut dos est lumen gloriae, non quatenus est, ut jam dixi, principium elicitivum visionis beatae, sed ut est qualitas disponens & perficiens intellectum ad recipiendam divinam essentiam loco speciei, ipsi namque ita clarificans, ut sit ab omni obscuritate immunis. Comprehensio secundum aliquos est etiam ipsum lumen gloriae, non ut clarificans intellectum, & ipsum disponens ad recipiendam divinam essentiam loco speciei, se ut tenens habitualiter ipsam visionem actualem: secundum alios est habitus charitatis, non ut est elicivus amoris, sed ut complectens ita firmiter summum bonum, ut sit in statu nihil ultra sperandi, sed omnia possidendi, quae & quando voluerit; & hic est status proprius comprehensoris, ut opponitur statui vistoris, qui est status contingentiae, spei, & amoris. Delectatio est etiam ipse habitus charitatis ut causans delectationem beatificam. Vide Auctorem q. cit. in marg. per §. Art.

Dos corporis Beati nihil aliud est, quam qualitas supernaturalis, dimanans ab anima beata in corpus sibi unitum & plene sibi subjectum, ipsum perficiens & disponens ad beatitudinem & gloriam: sicut enim anima per quasdam dotes disponitur & perficitur in ordine ad conjunctionem cum Deo, ita etiam corpus dum in resurrectione iterum unitur animae beatae. Quatuor assignantur dotes (In suppl. qq. 82. 83. 84. & 85.) corporis gloriosi, scilicet impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas, quas expressit Apost. 1. Cor. c. 5. his verbis: *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione*; en impassibilitas: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*; en claritas: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*; en agilitas: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*; en subtilitas Itaque

Impassibilitas (Ibid.) est qualitas supernaturalis, dimanans ab anima beata in corpus, excludens ab eo passionem corruptivam. Subtilitas, qualitas supernaturalis, dimanans ab anima beata in corpus gloriosum, reddens ipsum alterius corporis penetrativum, ita ut possit ad libitum deponere aut retinere suae quantitatis modum repletivum loci & aliorum corporum exclusivum: sic Corpus Christi gloriosum intravit ad discipulos januis clausis: & sepulchrum ac ipsos caelos penetravit. Agilitas, Qualitas supernaturalis, ab anima beata dimanans in corpus, ipsum reddens celerissime mobile, non tamen in instanti: juxta illud Is. 40. *Assument pennas sicut aquila*. Claritas, qualitas supernaturalis, ab anima beata dimanans in corpus, ipsum efficiens luminum & diaphanum, simile crystallo, ita ut in eo appareat mirabilis organizatio interior omnium suarum partium. Vide multo plura in auctore QQ. citatis.

§. II. De Aureolis Beatiorum.

Aurea est corona, Aureola parva corona superaddita majori coronae, juxta illud Exod. c. 15. *Faciesque illius coronam interrasiem* (id est excusplam) *altam quatuor digitis, & super illam alteram coronam aureolam*. Aurea itaque significat praemium essentiale Beatiorum; aureola praemium accidentiale & diminutum, & definitur: *Gaudium accidentale de excellenti victoria*. Duplicem namque victoriam reportant justi in hac vita, unam communem vi charitatis; & haec respondet aurea, seu praemium essentiale: alteram specialem vi alicujus alterius virtutis, scilicet vel fortitudinis, vel virginitatis, vel zeli instruendi & docendi viam salutis, contra triplicem hostem, mundum scilicet, carnem, & demonem. Mundum vincunt martyres contemptu mortis, quod est omnium malorum; quae mundus potest inferre maximum. Carnem vincunt virgines, illius illecebris resistendo. Demonem vincunt, quotquot viam salutis docent, dum suis salutaribus monitis & instructionibus illum e cordibus hominum, in quibus regnabat, expellunt. Et huic triplici paeccellenti victoriae respondet triplex aureola, scilicet Martyrum, Virginum, & Doctorum. (Ibid. quest. 96. per 13. Art.)

Martyr, cui competit aureola, is est, qui vel mortem vel plagas mortiferas passus est in testimonium fidei, vel alterius virtutis: de quo vide Tract. nostrum de Fortitudine Diss. 1. art. 2. Virgo, cui debetur aureola, est persona alterutris sexus, servans firmo proposito integritatem carnis, omnis voluntariae libidinis expertem. Quod si consensu mentali in voluptate carnis sive licitas sive illicitas hoc propositum interrumpat, & postea resumat, non amittit aureolam; secus, si opere externo interrumpat, quia reparabilis est Virginitas mentis voluntarie amissa, non carnis. Vide Tract. nostrum de Temperantia Diss. 4. art. 4. Doctor, cui competit aureola, est non solum qui doctorali laurea est insignitus, sed quicumque, sive vir, sive mulier, qui salutarem fidei & morum docet doctrinam, sive scripto, sive verbo, sive privatim, sive publice, juxta illud Dan. 12. *Qui ad justitiam eruditioni multos, quasi stellae in perpetuas aternitates*.

Petes, utrum aureola etiam corpori debeat. R. Quod aureola proprie est in mente: est enim gaudium de operibus illis, quibus aureola debetur. (Ibid. art. 10. o.) Sed, sicut ex gaudio essentialis praemii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis, ut dictum est de dotibus corporis; ita ex gaudio aureolae resultat aliquis decor in corpore, et sic aureola principaliter sit in mente, sed per quendam redundantiam refuleat etiam in carne. Probabile reputat Soto in 4. D. 49. q. 5. art. 2. claritatem gloriae efformare in capite Virginum coronulam albam, in capite Martyrum purpuram, in capite Doctorum subviridem. Vide, si libet q. cit. Auctoris.

DIGRESSIO HISTORICA.

Quid senserit & docerit Joannes XXII. circa tempus glorificationis Sanctorum?

Ad Art. 3. Præcedentis Dissert.

H Uno SS. Pont. docuisse animas justorum, corporibus solutis & plenè purgatas, non fructuas facili Dei visione ante generale judicium, multorum est opinio. An ita sit, inquirimus. Itaque dico: Jo. XXII. in eam quidem propendit vehementer sententiam, quòd SS. anime ad extremum usque judicium facili Dei visione non fruuntur. Eam tamèn assertivè non docuisse, probabile est: certum est autèm, eam ut fidei dogma ab omnibus credendum non definivisse.

Prima pars a nemine negatur, & facillè prob. 1. Ex Odo-rico Raynaldo, Auct. coevo, qui refert ex Biblioth. Vatic. ad ann. 1331. Jo. XXII. in tribus sermonibus habitis, scilicet in festo omn. SS. 3. D. Adv. & in vigilia Epiphaniæ, hanc sententiam dogmatizatum esse (quod tamèn fecit, non asserendo, sed recitando, ut dicemus modò). Insuper idem refert ex regesto ipsius Jo. XXII. ipsum sæpius in Curia coràm Cardinalibus hanc opinionem in utramque partem ventilasse, ad inquirendam veritatem.

2. Ex Continuatore Chronici Guillelmi Nangii, Auctore coevo, qui ad ann. 1333. dicit: Hoc anno prædicatio, quam Dominus Joannes Papa debuit prædicare, in qua publicè, ut ferebatur, dixerat, quòd anime decedentium in gratia non vident Deum, nec suum perfectè beatè usque post resurrectionem corporum, &c.

3. Idem Continuator ibidem. Gobelinus Persona in Cosdro- mii ætate 6. c. 71. Paulus Langius Citizensis Monachus in Chronico Cœnobi sui referunt, quòd Joannes Papa incarcerari jussit Thomam Valas Anglum, Ordinis Prædic. insignem Theologum, eò quòd prædicasset publicè Avenione contra hanc Pape opinionem. Insuper Albertus Kranzius l. 8. Wandaliæ c. 16. sit ait: Hoc erat illud tempus, quo sub Joanne ejus nominis XXII. scindebatur. Ecclesia de visione separatarum animarum: cum nonnulli ex Fratibus Minoribus pertinaciter tuerentur illam differri usque ad novissimum diem, quibus multum videbatur inherere Pontifex. Sed Fratres ex adverso Prædicatores doce- bant, &c. Undè illud Ludovici Bavarii Imperatoris, alias nostro Ordini infensi, quòd contra ejus schisma partibus Pontificis adhereremus: Ordo Fratrum Prædicatorum est ordo veritatis, qua intrepidè ac liberè contra errores quantumvis potentes, adverso pectore tuetur. Ita refert Bzovius ad ann. 1333. ex antiquioribus & probatis Authoribus. Tandem patet ista pars ex omnibus Authoribus coevis & aliis, qui hac de re scripserunt, & ex Congregationibus habitis hac de re in Sal- tu Vincennarum auctoritate Philippo Regis Franciæ.

Prob. 2. pars ex ipsius Joannis XXII. protestatione facta coràm Cardinalibus ann. 1334. 3. Januarii, quam refert Benedic- tus XII. ejus successor in Diplomate, quod ex MS. Vaticano refert Odo-ricus Raynaldus: Protestamur expressè, inquit, quòd, quiddam in questione seu materia visionis animarum... diximus, allegavimus, seu propositimus, non intendent ali- quid determinare, vel decidere, seu credere, quòd esset quovis modo Scripturæ sacræ obivium vel contrarium orthodoxæ fidei, sed illud solum tenere & credere, quòd & Scripturæ sacræ potest, & poterat Catholicæ Fidei convenire. Et si fors in præ- dictis sermonibus vel colationibus aliqua, que vel Scripturæ sacræ, seu Fidei Orthodoxæ quovis modo essent vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem a nobis fuisse prolata dici- mus & asserimus, eaque revocamus expressè, non intendent illis adherere, nec ea in præsentem defendere, nec etiam in futurum.

2. Ex alia protestatione ejusdem Joannis, quam 3. De- cembri ejusdem anni, morti proximis, fecit coràm Cardinalibus & Prælatibus convocatis, & quam Benedictus XII. præfatio suo Diplomati etiam inseruit: Ne super iis, inquit, que de ani- mabus purgatis, separatis a corporibus, an eorum resumptionem corporum divinam essentiam, illa visione, videlicet, quam vocat Apostolus factalem, videant, tam per nos, quam nonnullos alios in præsentia nostra recitando & allegando sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum, vel aliis ratio- cinando sapienter dicta sunt, aliter quam per nos dicta & intellecta fuerant, intelligantur... Ecce nostram intentionem &c. deinde se credere profiteretur, quòd anime separate & purgate videant Deum clarè facie ad faciem; & si quid ipsi contrarium ex- ciderit, expressè revocat.

3. Ex Ep. ipsius Joannis XXII. ad Philippum Franciæ Regem, quam ex Vaticano Codice exscripsit Odo-ricus Raynaldus ad ann. 1333. num. 46. in qua sic habet: Cum autem hanc

questionem Beat. us. Ang. in scriptis suis reperit valde du- biam... & nedum ipse, sed & multi Doctores circa istam mate- riam variant; propter hoc, ut veritas possit melius aperiri. Nos interidum in nostris sermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de nostro capite, sed dicta Scripturæ sacræ, & Sanctorum... multique tam Cardinalibus, quàm alii coràm nobis & aliis in suis sermonibus pro & contra de illa materia sunt locuti... ut sic possit plenius inveniri veritas... utinam fili vellet audire, que in nostris sermonibus diximus, Regia Celstudo, et unum verbum de capite nostro nos non protulisse reperies, sed que Christus, vel Apostoli, vel SS. Patres, et Doctores Ec- clesiæ protulerunt. Et postea negat in eadem Ep. quòd miserit generalem Ministrum Miroriarum Parisios, ut leberetur, ad astruendam illam sententiam; sed rogat, ut cuilibet permit- tat dicere in hac re quid verius existimaverit, donec fuerit ordi- natum per Sedem Apostolicam.

4. Ex instrumento cæcis Prælatorum & Doctorem habiti in Sal- tu Vincennarum auctoritate Regis, in quo sic habent: Adverentesque, quod multorum fide dignorum relatione audi- vimus, quòd, quiddam in hac materia sua Sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando, sed solummodo recitando. Hujus instrumenti autographum in scriiis Theolog. Facult. Parisiensis & in Archivo majoris Conventus FF. Pr. Parisios servari tes- tatur Nat. Alex. sæc. 13. & 14. Dissert. 11. quod totum ex- cribit.

Prob. 3. Pars 1. ex dictis in probationem 2. partis 2. ex Benedicto XII. Bulla Benedictus Deus, in qua sic loquitur SS. Pontifex: Cumque idem prædecessor noster, ad quem prædicto- rum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum hujusmodi se pararet, in Consistorio suo publicè tam fratribus suis & R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatibus & Magistris in Theologia, qui multi aderant præ- sentes, injungendo districtius & mandando, ut super materia de visione prædicta, quamòd requirentur ab eo, deliberatè diceret unusquisque quòd sentiret: tamèn morte præventus, si- cut Domino placuit, perficere illud nequivit. Adde, quòd ipse Joannes XXII. in Diplomate Canonizationis S. Thom. Aquinatis dicit, ipsum in perpetuas æternitates receptum in patria, ejus animam calum possidere, & in celestibus agnibus positum Deum glorificare.

Obj. contra 2. partem conclusionis testimonium Gersonis, Adriani VI. & Guillelmi Okami Minoritæ, referentium Joan- nem XXII. hunc errorem docuisse, & propugnasse: ergo, R. Majorem fidem adhibendam esse probationibus nostris ex ipso Joanne & Benedicto XII. Authoribusque coavis, quàm Gerso- ni & Adriano posterioribus, qui ex rumoribus, non ex accu- rata historiæ discussione, talia protulerunt. Okamo verò Lu- dovici Bavarii stipendiario, Joannis XXII. hosti, homini schis- matico, multò nimis credendum est.

Inst. 1. Ex dictis in probationem 1. partis, Joannes XXII. hunc errorem in tribus concionibus dogmatizavit: ergo, R. Dogmatizavit, id est, exposuit recitando, quid Scriptura, quid Patres in favorem talis sententiæ dicerent, C. id est, docuit ut veram & asseruit, N. Solutio patet ex probationibus 2. partis conclusionis.

Inst. 2. Ex dictis ibidem, jussit incarcerari & vexari, qui sententiam contrariam docerent & prædicarent: ergo, R. D. Ant. Jussit incarcerari, qui docerent sententiam contrariam, præcisè quia illam docerent & prædicarent, N. cum ipse per- miserit in utramque partem ventilari in sua præsentia, ut patet ex dictis, & unicuique libertatem reliquerit promendi quid de hac re sentiret, atque petierit eam dari a Rege Franciæ Doctoribus Parisiensibus. Quia illam docerent ut de fide, & contra sententias anathemate configerent ante definitionem Ec- clesiæ, C. sic enim concionatus fuerat Thom. Valas. Quis au- tèm horum excesserit, an prædicator sic concionando, an Pon- tifici incarcerando? Favent Concionatori, quòd præjudicata vi- detur jam fuisse hæc sententia in formulis fidei, quas Græcis præscripserat Clem. IV. & Joann. XXI. in quibus habebatur animas purgatas mix in calum recipi, ut refert Odo-ricus. Et opinionem contrariam Parisiensis Doctores, a Rege Philippo Va- lesio interrogati, responderunt falsam & hæreticam esse. Et Du- randus Episcopus Meldensis in libello ad ipsum Joann. XXII. di- xerat, esse errorem Scripturæ sacræ, auctoritatis totius Ecclesiæ ac sinceritati fidei contrarium, ut reverà in se erat, sicut patuit ex definitionibus posterioris Conc. Flor. quòd non novum arti- culum fidei condidit, sed doctrinam ex traditione acceptam cla- rius exposuit, ac confirmavit.

Inst. 3. Jo. XXII. in duabus Fidei declarationibus datis ann. 1334. de quibus supra, expressè revocat, que prius dixerat in materia visionis beatificæ. Idemque testantur Bened. XII. & Odo-ricus Raynaldus: ergo erroneè senserat, & docerant. R. D. A. expressè revocat absolutè, N. conditionatè, C. si nem- pe aliquid contrarium Fidei dixerit. Verba ejus sunt: Si verb

alia vel aliter circa materiam hujus visionis per nos dicta, præ- dicata, seu scripta fuerunt... ea revocamus expressè. Nihil autem dixerat, prædicaverat, seu scripserat nisi recitando & allegando ad inquirendam veritatem, ut ipsemet protesta- tur in utraque declaratione, & in literis ad Regem Christia- nissimum. Id eodem sensu locuti sunt Bened. XII. & Raynal- dus, Declarationes Jo. XXII. referentes.

Inst. 4. Philippus Valesius Rex Christianissimus in literis ad Jo. XXII. datus, minatus est illi rogam, ni revocaret sen- tentiam de dilatione visionis beatificæ: Et manda, quòd il se re- voquat, ut quòd il se ferat arde. Ita refert Petrus de Alliaco Card. & Archiep. Camerac. in oratione habita coràm Rege Carolo VI. Ergo hunc errorem docebat & asserbat. R. 1. Petrus de Allia- co, qui ferat hæc dixisse 70. ann. post obitum Jo. XXII. verosimi- lius deceptum fuisse, & applicuisse Jo. XXII. minas, quas Rex

Philippus intontaverat Ministro generali FF. Min. qui hanc sen- tentiam de dilatione visionis beatæ usque ad generale judicium publicè prædicaverat Parisiis, cum plurium offensione & scanda- lo. Id conj. 1. Ex silentio Auct. coevorum, qui istarum minarum contra Pontif. non meminerunt. 2. Ex literis Jo. XXII. ad Re- gem Philippum datis, in quibus conqueritur de minis, ut fama ferebat, a Rege intentatis contra Religiosos & sæculares; de mi- nis autem contra se intentatis nullam mentionem facit. 3. Ex cen- sorio Decr. Doct. Paris. quo significabant Regi, ex multorum fe- de dignorum relatione, quòd, quiddam Sanctitas sua dixit in hac materia, non asserendo, seu opinando, protulit: sed solum- modo recitando. R. 2. Dato Regem Philippum reverà sic minaci- ter scripsisse SS. Pontifici, id fecit fama mendaci deceptus. Et hæc sufficiant ad probabilitatem sententiæ nostræ adstruendam; non enim illam ut certò veram asserimus.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

D. Thom. a Quæst. 6. ad 21.

Absolute Tractatu de ultimo fine hominis, (Hic quæst. 6. in proem.) sequitur, ut agamus de actibus, quibus illum ultimam finem assequamur, aut ab eo removeamur. Et hi sunt actus humani, explicuimus in Tract. præced. Dissert. 1. art. 2. De his in particulari partim egimus in 2. 2. dùm de virtutibus Cardinalibus. De his autem in communi hic est agendum. Et quia actus humani sunt voluntarii, hunc præsentem Tractatum a Voluntario, & Involuntario ordimur. Undè sit

DISSERTATIO I.

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

D. Th. Quæst. 6.

ARTICULUS I.

Quid, & quatuorplex sit Voluntarium?

Dico 1. Voluntarium rectè definitur: Quod est a principio in- trinseco cum cognitione finis. Ita communitè cum Auctore (Ibid. art. 1. o.) post Aristotelem; Greg. Nyss. Damascen. & alios. Quòd autem quidam dicunt: cum cognitione singula- rium, in quibus operatio consistit, non significat quòd necessa- riò debeant cognosci omnes omninò circumstantiæ, sed quòd hæc cognitio sit practica.

Explicatur definitio. (Ibid.) Nomen voluntarii importat, quòd actus & motus sit a propria inclinatione & appetitu illius, qui movetur & agit, consequenter quòd sit perfectè a principio intrinseco; quòd enim est a principio extrinseco, non est ab in- clinatione. Duplex autem potest esse principium intrinsecum motus, scilicet efficiens & finale: omne enim agens agit, & move- tur propter finem, ut dictum est Dissert. 1. Tract. præced. Undè illa perfectè moventur a principio intrinseco, in quibus est principium intrinsecum efficiens & finale, ut non solum movean- tur, sed ut moveantur in finem: finis autem non movet, nisi ut est in apprehensione, seu cognitione. Quocumque ergo sic agit, vel movetur a principio intrinseco, quòd habet aliquam cognitionem finis, habet in se principium sui actus efficiens & finale, non solum ut agat, sed etiam ut agat propter finem, & ideò ejus motus sunt perfectè ab intrinseco, consequenter volun- tarii: hæc autem duo complectitur definitio tradita. Et quia in- ter appetitus elicitos, qui moventur & diriguntur a fine, princi- palior est voluntas, hi motus dicuntur voluntarii a principali appetitu; quamvis tamèn per principium intrinsecum in defini- tione intelligatur quivis appetitus elicitus, sive rationalis, sive sensitivus tantum.

Itur per primas particulas definitionis Voluntarium distin- guitur a Violento, cujus principium est extra; item a volito simpliciter, quòd non procedit ab aliquo influxu voluntatis, sed est ejus objectum, & terminus extrinsecè denominatus a volitione: sic pluvia est volita ab agricola, non ipsi voluntaria. Per ultimas particulas distinguitur a motu naturali; quia, licet motus naturalis sit a principio intrinseco efficiente, non tamen est a principio intrinseco finali, seu non est cum cognitione finis, ut patet in motibus vegetativis, & in motu gravium, & levium

in centrum. Undè hujusmodi non dicuntur se movere in finem, sed moveri ab alio cognoscente, a quo eis imprimitur principium suæ motionis in finem. Item per has particulas excluduntur a ratione voluntarii actus intellectus prævententes actum voluntatis, & ab ea non imperati; quia, licet sint a principio intrinseco effi- ciente, non tamèn supponunt cognitionem finis, a qua cau- santur. Si dicas, cognitionem conclusionum casuali ex cogni- tione principiorum, R. Quòd causetur ex cognitione principio- rum ut inferente, & in ratione veri, non ut movente & allien- te, seu in ratione boni & finis. Dùm autem dicitur in defini- tione, cum cognitione finis, intelligitur in sensu formali de fi- ne ut movente, & allienente in ratione boni, quòd competit tan- tum voluntati.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Voluntarium dividitur 1. in per- fectum & imperfectum. Perfectum est, quòd procedit ex perfecta cognitione finis; imperfectum, quòd procedit ex imperfecta cognitione finis. Cum enim duo concurrant ad voluntarium, scilicet principium intrinsecum & cognitio finis, perfectio prop- ria voluntarii, per quam distinguitur a naturali, non potest repeti a principio intrinseco, in quo convenit cum naturali; ergo a sola cognitione finis, per quam distinguitur a naturali.

Hinc sequitur, (Ibid.) voluntarium perfectum soli naturæ ratio- nali competere; imperfectum brutis: quia perfecta cognitio habetur, quando non solum apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio, & dignitas finis, & proportio medio- rum ad finem; & talis cognitio cum sit collativa & discursiva, soli intellectuali naturæ competit. Imperfecta autem cognitio finis est, quæ in sola apprehensione rei, quæ finis est, consistit, absque eo quòd cognoscatur ratio & dignitas finis, & pro- portio mediorum ad finem; & talis cognitio finis reperitur in brutis per sensum, & æstimationem naturalem: ergo voluntarium imperfectum convenit brutis, perfectum soli naturæ rationali nec tamèn omnibus ejus actibus, sed iis solum, qui cum plena cognitione, & advertentia procedunt; unde motus subitanei, motus puerorum, semiamentium, semidormientium, non sunt nisi imperfectè voluntarii.

Petes, utrum voluntarium conveniat univoce bruto & homi- ni? R. Probabilius affirmativè: quia conveniunt univoce in ra- tione generica cognoscitivi: ergo & in ratione voluntarii. Patet Conseq. quia voluntarium procedit ab appetitu juxta modum cognitionis, ut dictum est. Prob. Ant. Homo & brutum conveniunt